DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE

METHODO MATHEMATICA EXTRA MATHESIN APPLICANDA.

QVAM

D. O. M. A.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆQVE, ET RELIQVA.

CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI

PRAESES

M. JACOBVS GVILIELMVS MICHAEL Wasser

ET RESPONDENS

HENRICVS DANIEL HELLERVS

OETTINGENSES

SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI

AD D. AVG. MDCCXXIII.

SVBIICIVNT.

JENÆ

TYPIS JOH. ADOLPHI MVLLERI.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ALBERTO ERNESTO II.

S. R. I. PRINCIPI OETTINGENSI

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAIESTATIS GENERALI MARESCHALLO CAMPI, COPIARVM EQVESTRIVM, QVÆ CIRCVLO SVEVICO SVNT, GENERALI, ET PRÆFECTO LEGIONI DIMACHARVM.

&c. &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME!

TErtius annus eſt, & ſi quid excurrit, ex quo Sereniſſimo Tuo Nomini ſtudiorum meorum primos fructus, quos in ſcholis adhuc puer conſtitutus collegi, mente deuotiſſima conſecrarem; audeo nunc iterum, cum reddenda mihi aliquando tandem laborum meorum ratio ſit, quos Iuuenis in Ienenſium Academia in bonas literas impendi, TE accedere, cum clementia TVA fretus, tum quod TIBI ſoli id de-

debere videar. Cui enim potiore iure qualiumcunque meorum in ſtudiis conatuum ratio conſtaret, quam TIBI, PRINCEPS CLEMENTISSIME! qui inter tot tantaque ardua, quibus in glorioſiſſimo regimine TVO circumſeptus es, negotia liberalium artium curas ipſo Auguſto dignas geris, eosq;, qui ſuos animos iisdem imbuerunt, foues, defendis atque ornas. Ecquis enim eorum eſt, cui ſors in terris TVAS naſcendi, vel eas adeundi contigit, qui, bonarum artium alumnus, ſingularem Tuum & fere incredibilem erga litteratos, remque litterariam ſectantes fauorem non admiratus tantum, ſed ipſe expertus ſit. Ego, qui me tyronem in eruditione fateor, ea tamen TANTI PRINCIPIS gratia hactenus fructus ſum & adhuc fruor, vt, quid ſuperaddi poſſit, neſciam. Per TE, PRINCEPS SERENISSIME! licuit doctrinæ fundamenta iacere, iactis ſuperſtruere & litterario otio adhuc perfrui. Effectum autem hoc ipſo eſt, vt nullus verear, quo minus qualicunque diſſertationi meæ celſiſſimum nomen Tuum præſcribam. Neque vero argumenti ratio me deterruit, id tentare, quum in oſtendendis quibuscunque rebus non exactum modo demonſtrandi genus adames, ſed & exigas. Itaque vt lucubrationem meam Clementiſſimo vultu, id eſt TVO, accipias, ſumma animi ſubmiſſione rogo & obteſtor. Recepturum vero TE omnino mihi per-

ſuaſus ſum, vel hoc ipſo, quod memet ipſum ſimul deuotus offeram, nec TV neſcias,

quod qui quam potuit, dat maxima, gradus abunde est.

DEVM veneror, vt Tantum Principem, prolixiſſimum ſeculi ſui ornamentum diutiſſime florentem ſoſpitemque eſſe iubeat, & in ſeros Neſtoriosque annos conſeruare velit

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME!

SERENITATIS TVÆ

Ienæ d. XXVII. Aug.
A.O.R. MDCCXXIII.

Cliens deuotiſſimus
Iac. Guil. Michael Waſſer.



Q. D. B. V.

Sectio Prima Hiſtorica,

De

VARIIS, QVÆ INTER PHILOSOPHOS OBTINVERVNT MAXIME, DOCENDI METHODIS.

§. I.

HOminum cognitionis genus triplex eſt; vnum hiſtoricum, alterum philoſophicum, tertium mathematicum.

§. II.

Horum primum in rerum geſtarum factarumque perceptione atque enarratione ponitur; in altero eſt illud, quod in eorum, quæ facta ſunt, cauſas inquirit & cognoſcit eas; vltimum non has modo conſiderat, ſed etiam, quam habeat earum quæuis efficiendi facultatem, æſtimat.

§. III.

Inter hæc tria genera illud maxime *a*) intereſt, quod

a) Quæ hominum cognitionis genera, quamquam inter ſe di-

quod, cum rebus factis ſenſu moveantur homines, hiſtoricum cognitionis genus ad id ſolum, quod præſens eſt, ſe accommodat, adeoque omnibus *b*) commune eſt: Philoſophicum autem atque mathematicum, quod cauſas

---

uerſa ſint, tamen eſt in illis naturalis quidam ordo, quem turbare nefas eſt. Vanam enim & inſanem philoſophicam cognitionem dixeris, quæ, ſi hiſtorica non præceſſerit, ſtare cum recta ratione velit. Eſt tamen in multis is animus, vt non modo nullius hiſtoricæ cognitionis rationem habeant, ſed etiam humiles putent omnes & abiectos, qui communes notiſſimasque omnibus veritates curant, nec, vt ipſi volunt, ad altiora ſubinde aſcendunt: qui, quam feliciter res ſibi cedat, ipſi videant. Itaque requiretur fortaſſe nunc, vtrum, cum hæc ita ſint, mathematici nomen quis tueri poſſit, in quo philoſophia exulat? Ego, ſi veterum, PYTHAGORÆ imprimis & PLATONIS *μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω* ob oculos mihi pono, & quid ad eum, qui neque muſica, neque Geometria, neque Aſtronomia inſtructus ludum ſuum frequentare cupiebat, XENOCRATES dixit: Πορεύου, λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας (vid. DIOG. LAERT. L. 4. ſegm. X. p. m. 170.) conſidero, facile in aliam rapi partem poſſem, niſi, quid hæc præcepta ſibi velint, ſatius conſtaret. Conſtat vero, inter mathematicam cognitionem & matheſin ipſam magnum diſcrimen intercedere: Illam nemo acquiret, niſi philoſophica cognitione imbutus; hanc ipſa philoſophia ſequitur. Atque alterum veteres innuiſſe, MERCVRIALIS teſtis eſt, var. Lect. L. II. C. II. vbi „ Xenocrates, inquit, eo reſponſo innuere voluiſſe „ videtur, diſciplinas ordine quodam eſſe apprehendendas, neque „ adeundam philoſophiam, niſi NB. mathematicæ diſciplinæ tene- „ antur &c. „ Sed tenendæ ſunt ob id, quod iucundæ ſunt, attentioresque adoleſcentes reddunt, quod ipſe omnino recte aſſerit ILLVSTR. THOMASIVS Cautel. C. XI. §. 3. not. c. p. m. 227.

b) Quare vulgaris atque nominalis ILLVSTR. TSCHIRNHAVSIO appellatur in præfatione ad medicinam mentis.

ſas rerum vident, earumque vim ac poteſtatem cernunt, (§. 2.) pauci habent, & ii tantum poſſident, qui ſapientiorum c) nomine inſigniri ſolent. Quare ſcientifice rem ſuam dicuntur noſſe.

§. IV.

Tum enim arbitramur, ſcire vnumquodque, cum prima elementa & cauſas cognoſcimus. Atque, cum cauſæ

c) Olim ſapientum appellatio omnibus quarumcunque artium peritis tributa fuit. Primus philoſophiæ nomen PYTHAGORAS fertur vſurpaſſe vid. CICERO. Tuſcul. V. QVINTIL. L. XII. C. 1. CLEMENS ALEX. ſtrom. I. EVSEBIVS præpar. Euang. C. IV. LACTANTIVS III. C. 14. & ex his MENAGIVS in notis ad Diog. Laert. L. I. Segm. 12. p. m. 8. qui tamen non Pythagoram ſolum a veteribus philoſophum ἁπλῶς fuiſſe appellatum, ſed etiam Porphirium, citato loco annotauit. Vtrum vero humilitate potius ac ambitione ductus Pythagoras philoſophus laudari voluerit, non inquirimus, ſed, qui de re hac conferri poſſunt, ad SCHÆFFERVM de philoſ. Ital. C. VI. p. 34. celeberrimumque HEVMANNVM in actis philoſoph. P. 1. C. 2. p. 65. ſqq. beneuolum Lectorem ablegamus. Nobis philoſophi dicuntur Weltweißen, de cuius denominationis ratione & origine non ſatis tamen conſtat. Anguem in herba latitare non pauci autumant, & inter eos quidem maxime, quem ſupra iam laudauimus, CL. HEVMANNVS l. c. P. II. C. IV. p. 315. confer. Neue Bibliothec 27. Stück obſ. 2. p. 598. Quicquid vero ſit, id tamen certum eſt, vocem hanc der Weltweißheit intimam naturam rei exhaurire. Quæ enim omnia in philoſophia pertractantur, à rebus, quæ in mundo ſunt, abſtractæ merito ideæ appellantur. Et quamquam philoſophia noſtra etiam circa Deum verſetur, is vero, vt à SVMMO LEIBNITIO dicitur, ens extramundanum eſt, tamen, cum vel DIVO PAVLO teſte Rom. I, 19. ex operibus mundi cognoſcatur, Θεωπνεύςω præeunte, doctrinam de ſummo ente hoc ad philoſophiam, quæ Weltweißheit vocatur, non ambigimus referre.

causæ rerum eædem semper sint, determinatur intellectus ad alteram partem *d*) cum certitudine, quæ si adest, principia præsto sunt, ex quibus, tanquam ex fontibus, conclusiones deriuantur, riuuli.

§. V.

Est ergo scientia cognitio rerum per causas, per quas vnumquodqne est, seu quod idem est, habitus demonstrandi (§. 4.)

§. VI.

Philosophiam ergo *e*) definimus, quod sit scientia possibilium, quatenus sunt possibilia: Mathesin vero, quod metiendi sit scientia vel quantorum. (§. 1. 2. 3.)

§. VII.

d) Quod proprium intellectus est, qui, non nisi per argumentorum pondera, mouetur, adeoque necessaria facultas optimo suo iure appellatur. Conclusiones, quæ deduci ex hac thesi possunt, ex multis suæ imprimis luci reddidit acutissimus BAILIVS in „Commentaire philosophique sur les mots de l' Evangile de Je- „sus Christ, contraint les entrer.

e) Quæ contra definitionem hanc dubia moueri possunt, ipse iamiam ILLVSTR. WOLFFIVS iugulauit in dem Vorbericht von der Weltweißheit, denen vernünfftigen Gedancken von den Kräfften des Menschlichen Verstandes præmisso §. 8. sqq. p. 3. &c. Aliorum philosophorum alia est definitio doctrinæ suæ. Ita philosophiam SENECA definiuit Ep. 94. quod sit lex vitæ: PLATO, quod meditatio mortis sit, & alibi, φιλία τȣ̃ Θεȣ̃, quod idem fere est cum iis, quæ Sap. VII, 28. dicuntur. PYTHAGORAS ἐν γνώσει τῶν ἀληθῶν καὶ ὄντος ἀυτῶν philosophicam cognitionem posuit. vid. IAC. THOMASII „schediasma de originibus hist. philos.„ Quæ definitiones omnes, etsi non reiiciendæ absolute sint, tamen id incommodi secum ferunt, quod (quæ tamen affectio separari à definitione nequit) non vniuersales sunt, sed ad particularia philosophica præcepta tantum applicari possunt.

§. VII.

Quod igitur de omni ſcientia dictum eſt, (§. 5.) habitum demonſtrandi eſſe, id de philoſophia quoque & Matheſi affirmamus (§. 6.)

§. VIII.

Ratio demonſtrandi veritates & docendi alios *f*) methodus vocatur, adeoque definitur, quod modus ſit & ordinatio in rebus proponendis cum aliisque communicandis.

§. IX.

Mathematici certam demonſtrandi rationem proprie ſibi vindicarunt, philoſophi non itidem, qui, vel pro temporis vel genii ſui ratione, diuerſas in proponendis ſuis veritatibus vias iniuerunt.

§. X.

Nos igitur, quæ fuerint præcipuæ philoſophorum proponendi atque demonſtrandi methodi (§. 9.) indicabi-

f) De etymologia græci idiomatis non eſt, cur ſimus anxie ſolliciti, quæ vel ex SVIDÆ Lexico hauriri poteſt. Vnum eſt, quod notamus, loqui nos de methodo proponendi in ſpecie, quæ an diuerſa ſit a meditandi methodo, diſquiri ſolet. Ego, ſi quidem recte coniicio, credo, eandem ferme, quam inter iudicium & propoſitionem Logicæ Doctores obſeruarunt, differentiam intercedere. Altera vnam ſequitur, & in eo differunt, quod illud mente teneatur, hæc verbis enuncietur; conueniunt autem in illo, quod & iudicium & propoſitio iisdem partibus conſtat, eodemque ordine tam in mente, quam verbis, ſeſe ſiſtit. Atque vero eundem in meditando ordinem, ac in proponendo veritates, obſeruari, offendet is, qui vel ad propriam ſuam experientiam attenderit, de qua tamen re pluribus diſquirere, non huius loci eſt. Idem iam notauit celeb. GVNDLINGIVS in via ad veritatem P. I. L. 3. C. I. §. 4. p. 89. ſeqq.

cabimus : Deinde indolem & naturam mathematicæ demonſtrandi methodi (§. cit.) exponemus, tum, an applicari etiam hæc ad philoſophicas diſciplinas poſſit, diſpiciemus maxime.

§. XI.

Atque quod primum quidem attinet, varia philoſophiam docendi genera, ſi omnium velimus deſiderio ſatisfacere, eorum hæc, tanquam vſitatisſima, præcipue obſeruamus : Primum hiſtoricum atque paræneticum : Secundum illud, quod per ſymbola, emblemata, hieroglyphica, ænigmata fabulasque factum eſt : Tertium, quod adagiis & apophtegmatibus abſoluitur : Quartum, quod vel in dialogis vel ſatyris incluſum ; vltimum vero, quod per apodixin ſeu demonſtrationem datum eſt.

§. XII.

Hiſtoria eſt rerum *g*) geſtarum ſcituque neceſſariarum ab aliis facta enarratio : Paræneſis autem *h*) conſilium de rebus, vel perpetrandis vel omittendis, datum.

§. XIII.

g) Quæ differentiam conſtituunt hiſtoriam inter fabulasque Romanenſes, de quarum origine elegantisſime ſcripſit DAN. HVETIVS in peculiari libro de „ origine fabularum Romanenſium. „ Earum lectio an prorſus deteſtanda & abominanda ſit ? lis inter eruditos eſt. vid. quæ in vtramque partem argumenta adduxerunt HEIDEGGERVS in Mytoſcopia Roman. GVNDLING. in den neuen Unterredungen p. 255. ſeqq. THOMAS. in Monaths-Geſprächen P. 1. p. 24. ſeqq.

h) Hinc philoſophia hæc, quæ parænetica ratione traditur, præceptiua dicta eſt a SENECA. vid. Ep. 94. 95.

§. XIII.

Symboli vox, vt *i*) varie accipitur, ita hic imprimis appellatur ſimilitudo & aliqua naturæ communitas: *k*) emblema vero imago figurata a rebus intelligentibus ad intelligentes alias translata.

§. XIV.

Hieroglyphicum eſt imago ex quacunque re ad quamcumque ſignificandam aliam deſumta; Ænigma occulta & difficilis connexio rei ſignificatæ cum figura.

§. XV.

Fabula, quæ a *l*) fando dicitur, & proprie ſermo eſt reique diuulgatio, nobis narrationem denotat, delectandi & docendi cauſa fictam.

§. XVI.

Adagium nuncupatur dictum vulgi ſermone celebratum, figurate aliquid ſignificans: Apophtegma au-

 tem,

i) De variis vocis huius ſignificatibus ſuperuacaneum foret, diſputare, quia otium in hac re fecerunt in examinandis illis celeb. VOSSIVS de tribus ſymbolis C. IX. §. 16. ſeqq. PASCHIVS de variis modis moralia tradendi C. IV. §. 17. p. 404. 405.

k) Emblematis naturam atque indolem vberius expoſuit IOH. IAC. MVLLERVS in introductione in artem emblematicam.

l) Teſtis rei VARRO eſt. Vnde PLAVTI illud: "Eccum tibi lupum in ſermone" & TERENTII "Lupus in fabula" Latinæ voci vocabulum græci idiomatis reſpondet *μῦθος*, quod idem ſæpe ac *λόγος* eſt, vt apud HOMERVM Il. *α* 388. HESIODVM *Θεογονία* 20. ſæpiſſime autem fictam æque, ac vox fabula, narrationem denotat. Hinc *οἱ μῦθοι λέγουσι* apud ISOCRATEM in Paræneſi ad Demonicum p. m. 22. "fictæ narrationes tradunt" vertenda ſunt. Eodem ſenſu voce hac Diuus ipſe PAVLVS vſus eſt 1. Tim. IV, 7. vbi vt *γραώδεις μύθους* reiiciat, dilectum ſuum admonet.

tem vocatur breue & facete dictum ex circumstantiis & occasione rei natum.

§. XVII.

Dialogus est sermo seu disputatio duorum vel plurium interrogatione & mutua responsione constans.

§. XVIII.

Satyra carmen dicitur varium atque mixtum, hominum vitia liberius perstringens, in eaque invehens.

§. XIX.

Apodixin seu demonstrationem supra iam (§. 4.) definiuimus, quod sit ordo seu concatenatio conclusionum cum principiis.

§. XX.

Constitutis (§. 12-19.) eorum, quibus maxime philosophiam traditam fuisse diximus, (§. 11.) modorum definitionibus, qua nam ratione & a quibus applicati fuerint, ipsi iam dispiciemus.

§. XXI.

Hominum antiquissimos, qui Patriarcharum nomine clari sunt, aditu philosophiæ cum non vires, sed vitæ rationes simpliciter susceptæ *m*) prohiberent, quicquid doctrinæ erat, vel historico vel parænetico modo (§. 12.) suis tradiderunt.

§. XXII.

m) Quid de Patriarcharum philosophia statuendum sit, summe Rev. D. BVDDEVS vberrime exposuit in Hist. Ecol. V. T. p. 402. in Introd. ad hist. philos. Ebr. §. 1. not. p. 1. seqq. itemque Clar. HEVMANNVS in Actis philos. P. V. n. 1. p. 756. seqq. & quos ibidem laudatos conspicis, Viri celeberrimi, THOMASIVS, GVNDLINGIVS atque BAILIVS. quibus tamen omnibus iungendus est IOH. BRAVNIVS exercit. I. de Sapientia veterum Ebræorum in Sel. Sacr. p. 542. seqq.

§. XXII.

Enimuero narrabant posteris egregia veri ac summi DEI facta, quae vel viderunt ipsi, vel ab iis acceperunt, quos ἀυτόπτες reiicere nequiuerunt. Quo igitur summum Numen hoc rite sui colerent, &, quae ad aeternam veramque felicitatem faciunt, diligenter quaererent, virtutis praecepta indefesso studio inculcarunt. Adparet id ex testimonio, quod ipse Deus de Abrahamo tulit Gen. XVIII, 19.

§. XXIII.

Eandem sapientiae dogmata tradendi methodum posteriores quoque Iudaeorum sapientes conseruarunt. Ita *n*) Moses, *o*) Dauid, *p*) Salomon, Autor libri sapientiae, qui *q*) Philo creditur, *r*) Syracidesque abunde satis hoc testantur. Ipse Christus, discipulique eius hac ipsa methodo quandoque vsi sunt.

§. XXIV.

Sed & apud alios, qui philosophi celebrantur,

 eadem

n) Deuter. I, II. III. IV. V. VI. & XXIX.

o) Ps. II, 10. 11. 12. XXXII, 11. XXXIV, 14. 15. XXXVII, 1-9. 27. 34. 37. LV, 23. LXVIII, 35. LXXV, 5. seqq. LXXVIII. CV. CVI. CVII. &c.

p) In Prouerbiis, & Eccles. passim.

q) Isque senior, qui a iuniori sollicite distinguendus est, quamquam nec eorum desunt, qui iunioris seu Alexandrini foetum esse asserunt. Vid. quae in vtramque rem prolixe ac erudite disseruit S. R. BVDDEVS l. c. §. 18. not. n. p. 77. seqq. add. quae BASNAGIVS de re hac disputat in *Histoire des iuifs*.

r) Conferenda sunt de hoc quae HVETIVS protulit *in Demonstr. Euang.* Prop. IV. p. 366. BVDDEVS l. c, §. 22. not. a. p. 100.

eadem obtinuit: ſpectant huc *s*) ISOCRATIS Παραινέσεις, *t*) EPICTETI Enchiridion, & ex Latinis varia *u*) SENECÆ illius dicta: neque obſoleuit hodie, cum *x*) moralia imprimis ſcripta & *y*) politica methodo hac confecta extent.

§. XXV.

Symbolicum docendi genus, vt & emblematicum (§. 13.) hieroglyphicum & ænigmaticum (§. 14.) ex eo videtur orginem duxiſſe, quod omnium ferme gentium Doctores doctrinam ſuam in exotericam & acroamaticam diſtinxerint. Illam omnibus ſingulisque tradi-

s) De Iſocrate eiusque ſcriptis omnium inſtar conferri poteſt celeb. FABRICIVS *Bibl. Græc.* L. II. C. 26. §. 5. p. 848. ſeqq. add. HEDERICH. Notit. Auct. ant. & med. p. 182. ſqq.

t) De ipſo Epicteto & philoſophica ipſius doctrina videſis Excellent. D. STOLLII Heydniſche Moral p. 510. ſqq. & HEVMANNI Diſſ. de philoſophia Epicteti, hab. Ian. 1703

u) Qui, vt ſupra iam (§. 12. not. h.) notauimus, paræneticam præceptiuam nuncupat, quod, cum Stoicorum doctrinæ addictus fuerit, non mirandum eſt, quippe qui philoſophiam ſuam in dogmaticam & paræneticam diuiſerunt. vid. PASCHIVS l. c. C. IV. §. 6. p. 372. & de Seneca in ſpecie, quæ LIPSIVS de eo habet in Manud. ad philoſ. Stoic. L. 1. Diſſ. XVIII.

x) Huc imprimis refero, quæ BELLEGARDE ſcripſit, *Reflexions ſur le ridicule & ſur les moyens de l' eviter: la Politeſſe des moeurs: l' Art de plaire dans la converſation* &c.

y) Inter alia generis huius ſcripta ſeſe offert GRACIANI l' homme de Cour, quem ex Hiſpanica in ſuam linguam transtulit AMELOT DE LA HOVSSAIE, in vernaculam vero D. AVG. FRID. MVLLERVS. ut omittam *les maximes de Mazarin*, das endteckte Louvre, aliaque, quæ ſi necesſitas poſtularet, adduci poſſent.

tradiderunt, hanc iis tantum inſtillarunt, quos dignos atque aptos iudicarunt, qui recipiant, adeoque, ne cæteris eorum mens conſtaret, animi ſui ſenſa & philoſophiam quaſi ſub alienis veſtimentis occulerunt.

§. XXVI.

Igitur, quod ſymbolicum, (§. 13.) attinet, & emblematicum, ipſe *z*) Deus imaginibus, figuris, ſymbolisque vſus in Scriptura Sacra dicitur. *aa*) Prophetæ per ſigna res futuras ſæpe prædicebant, ſapientisſimique Iudæos inter ſaluberrima præcepta quæque ſub iisdem proponebant.

§. XXVII.

Inter alias quoque gentes tradendi doctrinam rationem hanc fuiſſe vſitatam, ſymbola *bb*) PYTHAGORÆ & *cc*) CEBETIS tabula nos neutiquam dubitare ſinunt

z) Ita rubus ardens Exod. III, 2. ſerpens æneus Num. XXI, 8. Ioſephi Gen. XXXVII, 28. atque Ionæ C. II, 1. fata in exemplum adduci poſſunt. Neque tamen in eorum caſtra tranſeundum eſt, qui, vt vim Scripturæ S. inferant, emblematum & ſymbolorum auctorem ipſum Moſen conſtituunt, & cum SPINOSA, BECKERO, BEVERLANDO BVRNETOQVE exiſtimant, omnia, quæ de protoplaſtorum lapſu Diuinus ſcriptor tradidit, figurate & ſymbolice accipienda eſſe. vid. tract. qui ſub titulo prodiit contra BVRNETVM *Moſes vindicatus* Amſtel. 1694. 12.

aa) Vt ex multis pauca addam, exemplo dicta ſint Eſ. I, 3. Ier. XIII, 10. ſqq. XIX, 1. ſqq. XXVIII, 2. 10. &c. Ezechielis Prophetiæ, Hoſ. I, 2. &c.

bb) De quibus videri poteſt Dominus STOLLIVS in der Historie der Heydniſchen Moral p. 217. ſqq.

cc) Qui Philoſophus Thebanus, Socratis auditor (DIOG. LAERT. L. II. Segm. 125. p. m. 152. STANLEIVS HIST. philoſ. P. III. C. II. p. 229.) ab aliis Cebetibus probe diſtinguendus (vid.

nunt. Quibus iungere poſſumus HERCVLEM *dd*) PRODICI, cuius mentio apud *ee*) XENOPHONTEM fit, aliosque, de quibus conferri poſſunt, qui ex inſtituto de hac re ſcripſerunt.

§. XXVIII.

Magis eſt, quod de ſignis hieroglyphicis (§. 14.) quæramus. Eorum maxime inter *ff*) Ægyptios frequens vſus erat, qui, quicquid moralis & politicæ ſcientiæ habuerunt, alienis, tam rerum creatarum, quam morum rituumque gentium, integumentis inuoluerunt.

§. XXIX.

MENAGIVS not. ad l. c. Diog. Laert. p. 129.) in Πίνακι ſeu tabula varias vitæ hominum conditiones proponit, virtutes ac vitia ſub fœminarum ſchemate repræſentat, ſub geniique perſona verariam oſtendit. vid. PASCH. l. c. C. IV. §. 23, p. 421.

dd) PROTAGORÆ Artemonis ſiue Mæcandri filii PRODICVS hic diſcipulus fuit, qui ambo libros legendo quæſtum ſibi faciebant. vid. Diog. Laërt. L. IX. Segm. 50. p. m. 575. SVIDAS de eo ſic: Πρόδικος, κεῖος, ἀπὸ κέω τῆς νήσου, πόλεως δὲ Ἰουλίδος. φιλόσοφος, φυσικὸς καὶ σοφιστής. σύγχρονος Δημοκρίτου τοῦ Ἀβδηρίτου, καὶ Γοργίου, μαθητὴς Πρωταγόρου τοῦ Ἀβδηρίτου &c. add. quæ MENAGIVS affert in not. ad lc. Diog. Laërt. p. m. 419.

ee) L. II. *de dictis & factis Socratis* vbi Herculis congreſſum cum voluptate & virtute PRODICVS finxiſſe dicitur, ita quidem, vt perceptis vtriusque argumentis, a virtute perſuaſus, voluptatem ſpreuerit.

ff) In teſtimonium rei HERODOTVS vocari poteſt, qui *Græcos ab Ægyptiis ſuam Theologiam mythologicam mutuatos eſſe* tradit. vid. HVETIVS de origine fabularum Roman. p. 9. 10. conf. PASCHIVM l. c. C. IV. §. 26. p. 431. qui NICOLAI CAVSSINI librum de *ſymbolica Ægyptiornm Sapientia* obſeruatu dignum æſtimauit.

§. XXIX.

Moſes, qui eruditus omni ſapientia Ægyptiorum dicitur Act. VII, 22. *gg)* procul dubio hieroglyphicorum hanc ſcientiam probe calluit. Nec ſententia eorum vana eſt, qui *hh)* Cabbalam Iudæorum celebratisſimam arti huic originem debere putant. Facile enim perſuadere mihi poſſum, qui per tot tantosque annos inter Ægyptios verſati ſunt, vt mores alios, ſic doctrinam ſuam tradendi methodum, Iudæos aſſumſiſſe.

§. XXX.

gg) Vid. de hoc loco, quem BVDDEVS citat introd. ad hiſt. philoſ. Ebræor. §. 11. not. 1. p. 38. IOH. PRIDEAVX operum Theol. p. 441. ſeqq. adde ipſiusmet BVDDEI H. E. V. T. Per. I. Sect. III. §. 24. p. 458. Neque tamen extendenda hæc eo usque ſunt, vt cum SPENCERO credas *de Legibus Ebræorum ritualibus* ſua inſtituta ex Ægyptiorum ritibus ad Iudæos transtuliſſe Moſen, Ebræorum ducem. Confutauit hanc ſententiam HERM. WITSIVS in *Ægyptiacis*. Multo minus eorum opinio probanda eſt, qui, vt omnem fidem ſacris litteris denegent, in id intendunt, vt cum Ægyptiis Iudæorum gentem miſceant. Itaque reiiciendus TOLANDVS eſt, qui TACITVM ſecutus Hiſtor. L. 5. C. 2. DIODOR. SICVL. Bibl. Hiſt. L. I. C. 28. & STRABONEM maxime Geograph. L. 16. p. m. 721. pro Ægyptiis Iudæos vendidit in *originibus Iudaicis & Adæiſidæmone*. Iugulauit vero illum IACOB. FAYVS *in defenſione religionis nec non Moſis & gentis Iudaicæ* & BVDDEVS in Programmate ad celeberr. DANZII Lexiones curſorias atque diſputationem inauguralem de *antiquitate Baptiſmi initiationis Iſraëlitarum.* Quæ de Moſe dici adhuc posſunt, SERPILIVS congesſit in den Leben Biblischer Scribenten P. I. tot.

hh) De Cabbalæ origine eiusque ſignificatione inter doctos varie diſputatum eſt. Iudæorum gens ipſum Deum ipſius autorem ſtatuit. Ex Chriſtianis ſunt, qui vniuerſam œconomiam Dei offendiſſe in illa autumant. Pertinent vero huc, qui id præcipuæ

§. XXX.

Neque tamen celebrata hæc frequentius apud Ægyptios (§. 28.) hieroglyphicorum ratio in patria & Iudæa (§. 29.) tantum ſubſtitit; manauit illa in alias quoque gentes late. Sic Scythis, Æthiopibus atque Græcis familiarem fuiſſe eam *ii)* alii euicerunt.

§. XXXI.

Differunt ab hieroglyphicis *kk)* ænigmata proponendi & repræſentandi modo (§. 14.) De his ergo in ſpecie obſeruandum, *ll)* frequentiorem eorum in ſapientia ſua tradenda fuiſſe inter gentes uſum. Ipſe Salomon

contenderunt, PICVS MIRANDVL. REICHLINVS, MORVS, KNORR à ROSENROTH, aliique, quos nominare ſuperſedeo. Neque moramur tamen HARDTII ſententiam, quam ſub celeberrimi Abbatis SCHMIDII præſidio SCHRADERVS defenſam iuit, in diſſ. *Oratio Dominica hiſtorice & dogmatice propoſita.* Sed, cui & ſuum calculum ipſe BVDDEVS adiicit in Diſſ. Theol. de *moderamine inculpatæ tutelæ* introd. ad hiſt. phil. Ebræorum adiecta §. 12. not. X. p. 321. BASNAGIVM in rem citamus *Hiſtoire des iuifs. T. II. L. 3. C. 16. ſeqq. p. 856. ſeqq.*

ii) PASCHIVS l. c. C. IV. §. 26. p. 432. 433. HVETIVS de origine fabularum Rom. paſſim.

kk) Quæ Sirpos vel Scirpos veteres appellaſſe, GELLIVS indicat L. XII. C. 6. AVGVSTINVS L. XV. de Trinit. C. 9. obſcuram allegoriam ænigma nominat, quæ & QVINTILIANO dicitur L. VIII. C. 9. Vnde factum, vt paulo obſcurius quæque dicta alia vel ſcripta ænigmata appellarentur. Ita CICERO L. VII. ad Att. Ep. 13. *Ænigma oppiorum de relia non intellexi: Eſt enim numero Platonis obſcurius* & IVVENALIS ſat. 8. v. 50. *vt iuris nodos, & Legum Ænigmata ſoluat.* Pertinent huc, quæ de fidelium cognitione in hac vita PAVLVS habet 1. Cor. XIII, 12.

ll) Ipſas ænigmaticas Epiſtolas CICERO conſcripſit, quas MORHOFFIVS narrat in libello *de Epiſtolis conſcribendis* p. m. 302.

mon per ænigmata tradidiſſe doctrinam ſuam dicitur I. Reg. V, 12. (IV, 32.)

§. XXXII.

De Arabibus id ſacræ nobis paginæ ipſæ aſſerunt 1. Reg. X, 1. vbi quæ ex Arabia Hieroſolymam Regina venerit, per ænigmata tentaſſe Salomonem dicitur. Immo ipſe integer IOBI liber, quem in Arabia habitaſſe *mm)* SPANHEMIVS fecit veriſimile, ſuam ſapientiam ænigmatibus iam pridem Arabiæ incolas inuoluiſſe abunde ſatis monſtrat.

§. XXXIII.

Idem de Indorum philoſophis, Brachmanibus & Gymnoſophiſtis, *nn)* DIOGENES LAERTIVS refert, quod *oo)* ii ſcilicet ſuam philoſophiam per ænigmata tradere ſoliti fuiſſent.

§. XXXIV.

Cum de Brachmanibus Indorum mentio ſemel facta ſit (§. 33.) licebit *ὡς ἐν παρώδῳ* de iis adhuc aliquid

C notare

Duo apud VIRGILIVM ænigmata offenduntur in *ecloga* III. Pælæm. p. m. 8. Quid? quod inter pocula veteres ænigmata proponebant, hinc POLLVCI L. VI. C. 19. *κυλίκεια ζητήματα* vocantur.

mm) In *miſcellaneorum ad ſacram antiquitatem & Eccleſiæ hiſtoriam pertinentium L. I. qui eſt de antiquitate & obſcuris hiſtoriæ Iobi operum T. II. C. IV. p. 27. ſeqq.*

nn) Procem. de vitis philoſ. ſegm. 6. p. m. 5. vbi: *τὺς μὲν γυμνοσοφίστὰς καὶ Δρυΐδας αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι (φασι)* adde, quæ de hac materia HVETIVS annotauit loco ſæpius citato, de origine fabularum Romanenſium p. 19. 20. & MENAGIVS in notis ad Diogenis dicta modo allegata p. m. 6. 7.

oo) De Brachmanibus in ſpecie integram Diſſertationem ſcripſit A. FABRICIVS 1708. BAILIVS peculiari titulo mentionem

notare. Erat ſingulare illud Brachmanum ſeu Gymnoſophiſtarum apud Indos, vt, quamprimum de prægnanti vxore conſtaret illis, eam accederent, & quæ apta viſa ſunt, præcepta illi darent. Itaque mulier, dum non inuita audiebat, ſed paſſa eſt, à ſapienti erudiri, non modo de naſcituro bene ſperarunt, ſed, quam primum doctrinæ capax fuit, tradiderunt, qui pro ætatis ratione iuuenem docerent.

§. XXXV.

Fabularum cur ſit inuentum genus, *pp*) PHÆDRVS ipſe docet. Frequens earum vſus apud gentes erat, quibus doctrinam ſuam ad alios propagarent. Amantiſſimi illarum Ægyptii, Arabes atque Perſæ extiterunt,

eorum iniicit in Dictionaire Hiſt. & Critique. Eorum vero doctrinas philoſophicas BERNIER propoſuit in *continuatione de ſes memoires ſur l' Empire du grand Mogol.*

pp) L. III. fab. prolog. p. m. 45. idem L. II. prol. p. m. 33. vbi:

Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error vt mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.

Hinc PLVTARCHVS τὸ τῶν ποιητῶν μυθῶδες, inquit, ὀυκ ἀφιλόσοφόν ἐςιν. Et profecto ineptiis fabularum hiſce ſua ineſt gratia, quippe, qui illas fingunt, medicorum morem imitantur, de quo LVCRETIVS canit L. I.

- - - veluti pueris abſinthia tetra medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circa
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,
Labrorum tenus: interea perpotet amarum,
Abſinthi laticem; deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat.

LYSIPPVM, qui in collocandis ſeptem ſapientum Græciæ ſtatuis

runt, à quibus in alias quoque terras transierunt.

§. XXXVI.

Græcorum mythologicam docendi rationem ab Ægyptiis profectam esse supra iam (§. 28. n. *ff.*) notauimus, vbi cum de hieroglyphicis quidem sermo sit, hic de fabulis dicatur, tamen non est, cur possimus contradictionis rei dici. Possunt enim vnius rei plures caussæ esse. Atque vero hieroglyphicis Ægyptios indusisse, iisque aliis gentibus, vt arcanæ doctrinæ studerent, ansam præbuisse (§. 28. 29.) demonstrauimus. Nunc an fabulas quoque adamauerint, quæstio instituitur.

§. XXXVII.

Adamasse vero illas plus, quam par est, *qq*) PASCHIVS ostendit HVETIVSQVE, quos, ne in tam clara re longius versemur, omnino in testimonium vocamus.

 §. XXXVIII.

ordine primam ÆSOPI esse voluit AGATHIAS laudat L. IV. Antholog. græc. Epigram. cuius verba CONRADVS RITTERSHVSIVS ita transtulit:

Laudo te, Lysippe, senex, sicyonie sculptor,
Æsopi effigiem quod statuis samii,
Ante sophos septem, quibus omnia tradita duris
Legibus, in verbis suadaque nulla fuit.
Ast hic fabellis figmentisque omnia condit,
Per ludum suadens corda hominum vt sapiant.
Aspera præcepta auersamur. Fabula dulcis
Esca instar monitis additur à samio.

De primo philosophicarum fabularum autore confer ea, quæ HEVMANNVS protulit in Actis philos. P. VI. obs. 2. §. 2. p. 947. seqq.

qq) L. c. C. II. §. 19. p. 137. seqq.

§. XXXVIII.

rr) HOMERVS, qui diu in Ægypto commoratus fuit, vel ſuo exemplo comprobat, ex terra hac in Græciam fabulas migraſſe. Ipſe in figmentis ſuis *ss)* clariſſima virtutis exempla & præcepta ſiſtit.

§. XXXIX.

Ex Arabibus illuſtris ille *tt)* LOCMANNVS eſt, quem Iobi ex ſorore natum, & quidem ipſi aliqui *uu)* ÆSOPVM fuiſſe perhibent. Immo, HUETIO notante, *apud eos eſt quædam familia philoſophorum, qui, vt clariora proponant dogmata, ea ſe ſub parabolis ſimplicibus familiaribus & ad populi captum accommodatis explicaturos eſſe profitentur.*

§. XL.

rr) De HOMERO ipſo, perſona atque vita putaui conſulendos DV PIN *in Bibliotheque vniuerſelle des Hiſtoriens:* CLERICVM *Biblioth. Choiſ. Tom. XXII. p. 244.* BOSSVET in *Diſcours ſur l' hiſtoire vniuerſelle T. I. p. 28.*

ss) Quod, qui ipſius ſcripta cum attentione legerit, facile quiuis deprehendet. Conf. tamen Eſſais de MICHEL de MONTAIGNE p. m. 558. Vtrum vero LIPSIVS modum in HOMERO extollendo exceſſerit, alii ſentiant. Ita enim ille Cent. I. Epiſt. ad Belgas Ep. 87. p. 129. exclamat:

O Apex ingeniorum, o faſtigium & culmen ſcientiæ, prudentiæ, ſapientiæ, quo pertingere homini quidem datur! Nos ita cenſemus: Nihil oritur alias, nil ortum tale fatentes.

tt) Vid. quæ de LOCMANNO hoc prolixe diſſerit HVETIVS de orig. fab. Rom. p. 11. ſeqq. 15. 19. 20. add. STOLLIVS in der Hiſtorie der Heydniſchen Moral p. 66. ſeqq.

uu) Ipſe hoc ſentit HVETIVS l. c. p. 11. HOTTINGERVS in Hiſt. orient. L. I. C. 3. contrarium vero adſtruit STOLLIVS l. c.

§. XL.

Perſarum Doctores philoſophica præcepta ſua per fabulas tradidiſſe STRABO Autor eſt, idque vel ex iis, quæ de eorum *xx)* ZOROASTRE dicuntur, patet.

§. XLI.

Romani quemadmodum bonarum literarum ſtudia à Græcis acceperunt, ita & fabularum artem ab iisdem mutuati ſunt. Non enim tantum fœcunda apud eos mythologicorum ſcriptorum ſeges eſt, ſed & fabularum vſus in tradenda doctrina ſua percrebuit. Ita, quæ *yy)* Æſopi nomine fabulæ celebrantur, PHAEDRVS, quem ſupra iam nominauimus, eas poliuit verſibus ſenariis.

§. XLII.

Quam impenſe Iudæorum natio fabulis ſtuderet,

 Rab-

xx) De Perſarum ZOROASTRE vid. DIOG. LAERT. l. c. Procem. ſegm. 2. p. 3. & MENAGIVS ad h. l. not. p. m. 5. vbi plures ZOROASTRAS fuiſſe notauit vir doctiſſimus. add. LAERT. ſegm. 8. Procem. p. 6. & ALDOBRANDINI atque MER. CASSAVBONI not. ad h. l. ibid. conf. etiam FABRICII Bibl. Cr. L. 1. C. 36. §. 1. p. 23. Præterea lectu digna ſunt, quæ BAILIVS de Zoroaſtre habet in Dictionaire Hiſt. Crit. itemque THOM. HYDEN in tr. de religione Perſarum, in quo eleg. libello de ipſorum Perſarum philoſophia, quam religionem appellare placuit, tractatum eſt.

yy) Philoſophus Phryx fuiſſe dicitur, ſecundum illud Phædri L. 3. 50. p. m. 46. *ſi Phryx Æſopus potuit Anacharſis ſcytha &c.* à vultus colore, vt volunt, ita appellatus, ταυτὸν γὰρ ὁ αἴσωπος τῷ αἰθίοπι. Alii vero Æſopi appellatiuum nomen magis, ac proprium fuiſſe, malunt. Egregia certe ſunt, quæ HEVMANNVS in hanc rem diſſerit in Actis philoſ. P. VI. Obſ. 2. §. 17. p. 967. Id certum eſt, neque fabularum autorem primum Æſopum eſſe, neque eas, quæ ſua nomine celebrantur, originem ab

Rabbinorum Talmudica figmenta abunde ſatis indicant.

§. XLIII.

Adagiorum & quæ prope iis veniunt, vſus apophtegmatum (§. 16.) *zz*) Iudæis haud infrequens, Græcorum philoſophis, eoſque inter præſertim illis, qui *aaa*) ſeptem philoſophorum nomine inſigniri ſolent, familiaris fuit.

§. XLIV.

Eandem methodum & aliarum gentium Doctores adhibuerunt. Ita Sinenſium *bbb*) ſapientiſſimus CONFVCIVS iis vſus eſt: ita *ccc*) Germanos maxime ſemper delectari iis conſtat.

§. XLV.

illo omnes, accepiſſe quod vtrumque QVINTILIANVS teſtatur L. V. C. 11. & L. II. C. 11. conf. FABRICIVM Bibl. Gr. L. II. C. 8. p. 381.

zz) Rei veſtigia inuenimus, 1.Sam. XIX, 24. de quo adagio conferri poteſt SCHMIDTII Diſſ. Quid Saul inter prophetas? it. C. XXIV, 14. vbi: מֵרְשָׁעִים יֵצֵא רֶשַׁע cui Græcorum tritum illud reſpondet: *κακοῦ κύρακος κακὸν ὠὸν.*

aaa) De ſeptem Græciæ ſapientibus conferri philoſophicæ hiſtoriæ ſcriptores poſſunt, DIOG. LAERTIVS, L. I. ſegm. 22. ſqq. p. 14. &c. STANLEIVS P. 1. Hiſt. phil. C. 1. p. 1. ſeqq. STOLLIVS in der Hiſtorie der Heidniſchen Moral.

bbb) Sinenſes Logica quidem, Metaphyſica & Matheſi à nobis, tamen nos morum elegantia & morali doctrina ab iis vinci, G. G. LEIBNITIVS demonſtrauit in præf. ad Nouiſſima Sinica. Refragatur illi S. EVREMOND in operibus ſuis T. V. p. 69. à BARBEYRACIO refutatus. Quæ vero lites inter IESVITAS & DOMINICANI ordinis confeſſores ob cultum Confucio in Sinenſium imperio dato interceſſerint, eæ conſpiciuntur in S. R. BVDDEI Diſſ. x. Analect. philoſ. de ſuperſtitioſo apud Chinenſes cultu.

ccc) Congeſſit earum quædam celeb. HERTIVS in tr. de Parœmiis, neque pauca inſperſit Theſauro ſuo practico BESOLDVS.

§. XLV.

Sunt etiam *ddd)* publicata hodie multorum ſcripta, adagiorum & apophtegmatum refertisſima, quæ omnia ſi inter ſe connexa eſſent, inſignem procul dubio vſum præberent.

§. XLVI.

At nullus inter ſapientiæ antiſtites docendi modus tam inclaruit, quam qui per Dialogos (§. 17.) fiebat. Arabibus vſitatum fuiſſe ex Iobi libro (§. 32.) eumque inter Iudæos obtinuiſſe, ex ipſius CHRISTI & APOSTOLORVM exemplo patet.

§ XLVII.

Ex Græcis in hac arte præter *eee)* LVCIANVM *fff)* SOCRATES ille magnus imprimis obtinet, eumque qui ſecuti ſunt, XENOPHON, ÆSCHINES, CRITO, SIMON, CLAVCO, SIMMIAS, ARISTIPPVS, ipſeque PLATO.

§. XLVIII.

Græcos CICERO imitatus eſt, qui de variis argumentis varios Dialogos conſcripſit.

§. XLIX.

ddd) Refero huc potisſimum ſcripta in ANA deſinentia, eaque, quæ PASCHIVS notauit l. c. C. IV. §. 14. p. 394. ſqq.

eee) Conf. de eo FABRICII Bibl. Gr. L. IV. p. 403. Quid ſentiendum de Dialogis ipſius ſit, Excell. STOLLIVS oſtendit in præf. Luciani Hermotimo a clarisſimo D. M. KROMAYERO in vernaculam translato præmiſſa.

fff) Quæ de SOCRATE dici posſunt congesſit ex DIOG. LAERTIO, STANLEIO atque XENOPHONTE CHARPENTIOR dans la vie de Socrate, quam & in noſtram linguam tranſtulit ILL. THOMASIVS.

§. XLIX.

Ex Patribus *ggg)* IVSTINVS MARTYR, ORIGENES, GREGORIVS vterque, MINVTIVS FELIX aliique ob hanc artem extolluntur: Ex recentioribus vero ERASMVS, FONTANELLIVS, PERRALTIVS, & ex Germanis TENZELIVS, ILL. THOMASIVS, Autoresque der Gespräche im Reich der Todten, und der Gespräche im Reich der Weltweißen clari sunt.

§. L.

Tandem ad satyras (§. 18.) peruenimus, quorum imprimis duplex genus est, vnum, quod ligato, alterum, quod soluto sermone absoluitur.

§. LI.

Quemadmodum ex *hhh)* Græcorum sapientibus in satyris SOCRATEM extollunt, HERACLITVM & DEMOCRITVM, ita in vtroque genere viros sese ROMANI præstiterunt, & inter Poëtas quidem maxime *iii)* HORATIVS, PERSIVS atque IVVENALIS, reliquos vero inter SENECA & PETRONIVS.

§. LII.

Nostris temporibus inter Gallos maxime & Germanos hæc veritatem proponendi methodus reconualuit. Atque quod Gallos attinet, propterea laudandi veniunt

ggg) De vitis atque scriptis Patrum &., quos nominauimus, eorum maxime consuli possunt CAVÆVS, ITTIGIVS & DV PIN in peculiaribus tractatibus, quos de hac re ediderunt.

hhh) De Satyrica Græcorum Poësi & Romanorum satyra integrum libellum scripsit ISAAC. CASSAVBONVS vid. MORHOFF. Polyhist. T. I. L. I. C. I. §. 11.

iii) Conferas velim de his satiricisque aliis, quæ PASCHIVS habet loco sæpius cit. C. III. §. 8. seqq. p. 243. &c.

unt *kkk*) NICOL. BOILEAV, & qui eum præcesserat *lll*) REGNIER, itemque *mmm*) MOLLIERE.

§. LIII.

Agmen inter *nnn*) Germanos ducunt LIPSIVS, SCHVPPIVS, & quem primum debuissem nominare, celeb. THOMASIVS, vt omittam, quæ HOFFMANNSWALDAV & ABELIVS, & in alia gente BARCLAIVS hanc in rem scripserunt.

§. LIV.

Denique si qui ex philosophis apodixin seu demonstrationem in docendo adhibuerint, velimus circumspicere, primum *ooo*) ARISTOTELEM offendemus, qui concinno ordine sua dogmata proposuit.

D §. LV.

kkk) Vitam clarissimi viri edidit MEZERAY. conf. ACTA ERVDIT. LIPS. Anno 1713. p. 55. sqq. opera eius denuo Amstel. prodierunt in IV. Tom. 8vo.

lll) Vid. BAILLETI Iugements P. IV. p. 1. 7. sqq.

mmm) De hoc vid. l'histoire de la vie de Molliere par GRIMARET edit. & in *vernaculam* transl. August. vindel. 1711. 8. De Comoediis eius in specie & ipsius satyris conf. RAPIN reflexions p. m. 199. 200. 201. Recte, ut mihi videtur quidem, de eo a multis iudicatum est: *qu'il a corrigé plus de defauts à la cour, & à la ville luy seul, que touts les predicateurs ensemble.*

nnn) Quorum scripta huc pertinentia omnium cum in manibus versentur, non est, quod in eorum recensione atque narratione detineamur. vid. quæ celeb. STOLLIVS attulit in der Historie der Gelahrheit C. V. von der Poesie.

ooo) Vnde primus methodi magister, moralisque & naturalis scientiæ doctor appellatus est. vid. PASCH. l. c. C. VI. §. 4. p. 475. EIVSQVE introduct. in rem litter. moralem veterum C. II. §. 5. p. 580. de eius vita vid. DIOG. LAERT. L. V. p. m. 268. STANLEIVS l. c. P. V. C. I. sqq. p. 410.

§ LV.

Secuti *ppp*) philoſophiam ipſius quam plures ſunt, neglecto tamen præceptoris rigore demonſtrandi. Quidam *qqq*) ſpreta illa hunc retinuerunt: *rrr*) Alii vero & *sss*) recentiores maxime, vtraque proſcripta parte, ingenio indulgentes, liberiori demonſtrandi genere vſi ſunt.

§. LVI.

Quid de omnibus, quos hactenus narrauimus, docendi philoſophiam modis cenſendum, & quidnam imprimis

ppp) Conf. LAVNOY de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi & HERM. AB ELSWICH tr. de fortuna Ariſtotelis in ſcholis Proteſtantium.

qqq) Illuſtre exemplum in metaphyſicis habemus, in quibus quidem tradendis ab Ariſtotelis mente ſcholaſtici receſſerunt (vid. RAPIN compar. de Plat. & Ariſtot. IAC. THOMASII Hiſt. Methaph.) ſyllogiſtica & demonſtratiua tamen methodo Ariſtotelis retenta.

rrr) Huc STOICIS except's (de quorum philoſophia præter DIOG. LAERTIVM L. VII. ſegm. 1. ſqq. p. 366. &c. STANLEIVM P. VII. C. I. ſqq. p. 544. &c. impr. p. 554. ſqq. conferri poteſt, qui ex inſtituto rem tractauit LIPSIVS) refero cæterarum fere omnium ſectarum defenſores, & inter illos EPICVRVM maxime, cuius philoſophiam ex veteribus GASSENDVS collegit in ſyntagmate de philoſophia Epicuri, quod in operibus extat T. III. n. 1. p. 3-94. Lugdun. 1658. edit. fol. Ipſius Epicuri vitam narrat idem GASSENDVS operum T. V. p. 179-236. adde, quæ lectu digna de Epicuro diſputat ILL. THOMAS. in Monatlichen Geſprächen P. II. menſe Iulio p. 114. ſqq.

sss) Primus procul dubio inter hos CARTESIVS *eſt*, qui, quum nouum philoſophiæ ſyſtema meditaretur, neque tamen cauſſæ bonitati fideret, in omnibus, ne ad lydium, vt vocant, lapi-

primis de poſteriori methodo apodictica (§. 54.) ſtatuendum ſit, tum demum poterimus recte iudicare, ſi de methodo mathematica prius dictum fuerit. Quare ad ſecundam diſſertationis noſtræ partem, (§. 10.) alacri mente nos accingimus.

Sectio II.

De

NATVRA ET INDOLE METHODI MATHEMATICÆ.

§. LVII.

CVm methodus in genere ordo ſit, dogmata ſua proponendi & communicandi aliis (§. 8.) per methodum mathematicam (§. 9.) eundem, quem in ſcientia methematica (§. 6.) tractanda Doctores ordinem ſeruarunt, intelligimus.

§. LVIII.

Eſt vero ipſius ea ratio, vt poſitis rite rerum definitionibus, axiomata primum atque poſtulata conſtituantur, porro theoremata & problemata formentur, corollaria denique atque ſcholia, ſi res poſtulat, inſpergantur.

§. LIX.

Quorum omnium *ttt)* naturam atque indolem vt accu-

dem rigoroſe ſua dogmata probentur, ſyllogiſticam demonſtrandi methodum proſcribere tentauit.

ttt) De methodo mathematica elementis ſuis mathematicis Commentationem præmiſit Illuſtris ipſe WOLFFIVS, quem ſufficeret allegaſſe. Tamen, quod inſtituti ratio poſtulat, ex ipſi-

accuratius liceat inſpicere, præmittenda ſunt, quæ lucem affundere nobis poſſunt.

§. LX.

Omnium primi circa verum & falſum principii loco ponimus: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Hæc propoſitio vocatur principium *uuu*) contradictionis.

§. LXI.

Contradictio eſt eiusdem rei ſimultanea affirmatio vel negatio.

§. LXII.

Igitur ad contradictionem veram requiritur, vt ſub iisdem circumſtantiis res conſtituta ſit, de qua aliquid affirmetur vel negetur, (§. 61.) non vero ſub diuerſis.

§. LXIII.

Poſſibile dicitur, quod nullam contradictionem inuoluit, impoſſibile, quod inuoluit eam.

§. LXIV.

us celeberrimi viri Logica atque Methaphyſica, eius pace, rem vlterius explicare, & illuſtrare eam pro virili in hac Diſſertatione noſtra auſi ſumus.

uuu) Idem appellatur principium identitatis, quod omnium generaliſſimum eiuſque vniuerſalitatis eſt, vt ipſa Scepticorum gens inficiari illud nequeat. Si enim nihil verum eſſe aiunt, illud ipſum tamen, nihil verum eſt, vi principii huius, verum eſſe debet, quod fatetur ipſe SEXTVS EMPIRICVS L. II. hypotypos. C. 9. p. m. 86. (ex edit. Lipſ. FABRICII fol.) conf. quæ DE LA MOTHE LE VAYER habet in *cinq Dialogues faits à l'imitation des anciens* Dial. I. de la philoſophice ſceptique. Magis ad inſtitutum facit, quod obſeruemus, veteres Mathematicos in demonſtrandis ſuis theſibus hoc ipſo principio identitatis uſos maxime fuisſe. Rei exempla vid. in elementis EVCLIDEIS L. I. p. 6. 8. 12. (ex edit. Oxon. fol.) &c.

§. LXIV.

Ens dicitur, quicquid vel reuera eſt, vel eſſe ſaltim poteſt.

§. LXV.

Totum aliquid vocatur, ſi plura entia coniunctim ſumta vnum conſtituunt. Hæc plura partes appellantur.

§. LXVI.

Totum igitur parte maius eſt (§. 65.)

§. LXVII.

Nihilum ſeu non ens dicitur, quod neque eſt, neque poſſibile eſt.

§. LXVIII.

Ex nihilo nihil fit. (§. 67. 60.)

§. LXIX.

Cauſa eſt, quicquid continet rationem exiſtentiæ alterius; Cauſatum vero, quod rationem exiſtentiæ in altero habet.

§. LXX.

Ratio eſt id, quod continetur in cauſa, & ex quo cauſatum poteſt concipi.

§. LXXI.

Principium conuenientiæ *xxx)* ſummo LEIBNITIO dicitur: Nihil fit ſine ratione ſufficienti, cur potius ſit, quam non ſit.

§. LXXII.

Eſſentia eſt, quod continet rationem eorum omnium, quæ rei alicui conueniunt, vel conuenire poſſunt.

§. LXXIII.

Eſſentia itaque cauſa eorum eſt, quæ rei competunt (§. 73. 69.)

xxx) Quem ſecutus celeberr. WOLFFIVS eſt in methaphyſ. C. II. §. 30. 31. p. 13. 14. vbi principium hoc accuratius demonſtratum fuit vir Illuſtris.

§. LXXIV.

Attributum eſt, quod vnicam & immediatam rationem habet in eſſentia.

§. LXXV.

Igitur attributa ſeparari ab eſſentia non poſſunt, neque vnius rei attributa alteri communicari. (§. 74.)

§. LXXVI.

Extra ſe ſunt res à ſe inuicem diuerſæ, adeoque extra nos poſita ea omnia, quæ à nobis diuerſa ſunt.

§. LXXVII.

Conſcius rei appellatur, cuius in poteſtate eſt, eam ab aliis diſcernere.

§. LXXVIII.

Anima eſt ens ſibi repræſentans vniuerſum ſecundum ſitum corporis, quem illud in vniuerſo occupat.

§. LXXIX.

Adeoque & ſuimet ipſius & aliarum rerum anima conſcia eſt (§. 77. 78.)

§. LXXX.

Quæ mutationes in anima fiunt, corporis mutationibus reſpondere debent (§. 78.)

§. LXXXI.

Organum ſenſorium corporis membrum eſt, in quo mutationes ab externis rebus fiunt.

§. LXXXII.

Senſus vero animæ facultas dicitur, quæ eiuſmodi mutationes repræſentat ſibi.

§. LXXXIII.

Ergo ſola anima, & tunc demum, ſentire dici poteſt, ſi in corpore, quocum vnita eſt (§. 78.) certæ mutationes factæ fuerint, quas tamen præſentes ipſe ſenſus immediate ſequitur (§. 81. 82.) mutationi factæ in corpore conueniens. (§. 80.)

§. LXXXIV.

Cogitatio eſt mutatio animæ, cuius ſibi conſcia eſt anima.

§. LXXXV.

Perceptio autem eſt cogitatio de rebus præſentibus.

§. LXXXVI.

Perceptio partialis eſt, quæ verſatur circa partem vnam in compoſito: Totalis, quæ plures partiales involuit.

§ LXXXVII.

Clare dicimur percipere, quando de cogitationibus certo nobis conſtat, eaſque ab aliis diſtinguere poſſumus; obſcure vero, quando neque de ipſa cogitatione certi ſumus, neque ab aliis diſcernere valemus.

§. LXXXVIII.

Claritas perceptionum igitur ex animaduerſione diſtinctionis oritur, obſcuritas autem ex abſentia vel defectu eius. (§. 87.)

§. LXXXIX.

Somnium eſt confuſio phænomenorum.

§. XC.

Itaque, qui in ſomnio eſt, obſcuras, non claras, perceptiones habet. (§. 88. 89. 60.)

§. XCI.

Diſtincta eſt perceptio, quando diſcrimen cogitationum noſtrarum determinare, aliisque indicare poſſumus: confuſa vero, quando, quæ cogitamus, non definire, adeoque petentibus oſtendere valemus.

§. XCII.

Igitur perceptio partialis maiorem diſtinctionis gradum habet, ac totalis. (§. 86. 91. 65. 66.)

§. XCIII.

§. XCIII.

Adæquata denique perceptio ea dicitur, si notas, quæ discrimen constituunt inter cogitationes, clare etiam ac distincte percipere poterimus: inadæquata vero, vbi nequiuerimus id præstare.

§. XCIV.

Ex quibus (§. 87. 91. 93.) patet, quod diuersæ hæ à se inuicem ideæ non, nisi gradibus, differant, adeoque vbi clara finit, distincta incipit, hæcque desinit, vbi adæquata incipit.

§. XCV.

Idea est repræsentatio cuiuscunque rei in cogitatione.

§. XCVI.

Quemadmodum ergo fons perceptionis sensus est, (§. 83. 84. 85.) ita ex perceptione primum idea oritur. (§. 95. 85.)

§. XCVII.

Atque, quod perceptiones ipsæ vel claræ sunt vel obscuræ (§. 87.) distinctæ vel confusæ (§. 91.) adæquatæ vel inadæquatæ, (§. 93.) ita idearum quoque hæc discrimina admittimus (§. 96.)

§. XCVIII.

Completa idea dicitur, quando, quæ discrimen rerum constituunt, notæ ad discernendas illas quocunque tempore sufficiunt. Huiusmodi idea definitio vocatur.

§. XCIX.

Definitio ideas claras & distinctas supponit. (§. 98. 87. 91. 97.)

§. C.

Quodlibet ens cum essentia sua & attributis gaudeat,

quæ

quæ propria ſibi ſunt, neque enti alii conferri poſſunt, (§. 73. 74. 75.) ſequitur, vt eſſentia & attributa rerum perpetuum diſcrimen conſtituere, adeoque ex iis certiſſimæ definitiones hauriri debeant (§. 98.)

§. CI.

Quæ ab eſſentia rei definitio deſumitur, realis audit, nominalis altera, quæ ex attributis petitur.

§. CII.

Quod eſſentia cauſa eorum eſt, quæ rei competunt, (§. 73.) ex reali definitione, quæ ad rem pertinent, omnia deduci poſſunt (§. 101.)

§. CIII.

Tamen cum & attributorum ratio in eſſentia ipſa quærenda ſit, (§. 74.) & ab illa ſeparari nequeant, (§. 75.) etiam vt ex nominali definitione concluſiones queant deriuari ad rem ſpectantes neceſſe eſt. (§. 101.)

§. CIV.

Et, quia omne attributum eius conditionis eſt, vt alieno enti communicari nequeat, (§. 75.) perinde erit, quodnam eorum ad differentiam vnius rei ab altera (§. 100.) adeoque ad definitionem (§. 98.) nominalem (§. 101.) conſtituendam ſelegerimus.

§. CV.

Poſitis itaque in Matheſeos doctrina vel nominalibus vel realibus definitionibus, prima demonſtrationis ſuæ parte, (§. 58.) ad reliqua proceditur.

§. CVI.

Atque is procedendi modus eſt, vt ex diſtinctis ideis & completis, cuiuſmodi ipſæ definitiones ſunt, (§. 98. 99.) datis plures ideæ combinentur, quarum vna aliquid de altera vel aſſerit vel negat.

§. CVII.

Ipſa idearum combinatio propoſitio vocatur, quæ vel affirmatiua eſt vel negatiua. (§. 106.)

§. CVIII.

Iamuero duplici ratione ex definitionibus (§. 106.) propoſitiones (§. 107.) deriuari poſſunt. Vel enim quid tribuendum vel denegandum rei ſit, oſtendunt; vel poſſibilitatem atque rem perficiendi modum indicant. Prioris generis propoſitiones theoreticæ, poſterioris veræ practicæ dicuntur.

§. CIX.

Neque vtriusque tamen generis propoſitiones ex definitionibus deducendi eadem ratio idemque modus eſt. Dantur, quæ vel ex vna tantum, vel ex duabus ſeu pluribus iisdem ſimul ſumtis quæſitæ ſunt.

§. CX.

Quæ ex vna ſaltim concluduntur propoſitiones theoreticæ, axiomata vocamus, quæ autem practicæ, eas poſtulatorum nomine inſignimus.

§. CXI.

Igitur non anxie quærenda nobis præcepta ſunt, ad quorum normam axiomatum inuentio debeat inſtitui. Facillimo negotio res conficitur, ſi ideæ omnes, quas definitio includit, claræ & diſtinctæ nobis ſunt & inter ſe conferuntur. (§, 110, 87. 91. 106.)

§. CXII.

In ipſis vero axiomatibus demonſtrandis negotium faceſſere non opus eſt. (§. 111.)

§. CXIII.

Experientia eſt cognitio, quam acquirimus reflectendo ſuper perceptiones & mutationes animæ noſtræ.

§. CXIV.

§. CXIV.

Perceptionis fundamentum cum ſenſus ſint, (§. 96.) mutationum autem animæ hæc ipſa, (§. 80 73.) experientia vel externa eſt vel interna (§. 113)

§. CXV.

Porro, quod res, quæ percipiuntur, animæ præſentes ſunt (§. 96. 83.) mutationum ſuarum vero ea ſemper conſcia ſibi eſt, (§. 79.) ſequitur, vt huiusmodi experientia nulla demonſtratione egeat.

§. CXVI.

Quare fit, vt in Mathematicorum ſcriptis experientiæ ſæpius in locum axiomatum ſuccedant: Id quod optimo iure fieri poſſe patet (§. 112. 115.)

§. CXVII.

Propoſitiones, quæ ex duabus vel pluribus definitionibus deducuntur (§. 109.) ſi ſint theoreticæ, theoremata vocantur, ſin practicæ, problemata nobis audiunt.

§. CXVIII.

Quemadmodum axioma oritur ex vnius definitionis ideis inter ſe collatis (§. 111.) ita theorema fit, ſi non tantum, quæ in definitionibus continentur, omnes ideæ claræ & diſtinctæ ſunt, ſed ſi, quod vel ex experientia vel aliunde conſtat de definito, probe expenditur.

§. CXIX.

Itaque quod in theoremate cauſa ceſſat, quæ in axiomate obtinuit, cur non demonſtrari debeat (§. 118. 112.) in illo omnino eſt demonſtratio admittenda.

§. CXX.

Ergo etiam duobus membris vel partibus duabus theorema abſoluitur. Eorum primum eſt ipſa propoſitio, quæ, quid conueniens rei ſit vel minus,

 pronun-

pronuntiat (§. 108. 117.) alterum est demonstratio, (§. 119.) quæ nos certiores reddit, recte de re aliqua sentiri.

§. CXXI.

Problema (§. 117.) est propositio practica (§. 108.) ex duabus vel pluribus definitionibus inter se collatis orta (§. 109.) quæ, quid & qua ratione aliquid fieri cum re quadam possit, indicat & recte factum demonstrat.

§. CXXII.

Igitur Problema est trimembre: Primum quippe membrum ipsa propositio constituit: alterum resolutio, tertium denique demonstratio conficit (§. 121.)

§. CXXIII.

Cum problematis propositio ostendat, quid & quomodo agendum sit (§. 122. 121.) quidam effectus rei antea iam notus esse debet. (§. 68.)

§. CXXIV.

Quare, qui rem suam in problematibus resoluendis feliciter vult agere, de philosophia & mathematica cognitione rei alicuius sollicitus sit necesse est. (§. 123. 2. 3.)

§. CXXV.

Ipsum problema, quod in resolutione eius rem perficiendi datam modus traditur (§. 121.) hic vero, non nisi certis positis conditionibus, stare potest, (§. 124.) sine vllo negotio in theorema transmutari posse, clarum est (§. 108. 109. 118.)

§. CXXVI.

Corollarium (§. 58.) nobis dicitur a rebus vniuersalibus ad particularia facta applicatio.

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Cuiusmodi licet ad demonſtrationem ipſam parum faciat (§. 5.) tamen, quo maiori luci res reddatur, vel definitionibus, vel axiomatibus, vel theorematibus, vel denique problematibus ſubiicitur.

§. CXXVIII.

Scholia (§. 58.) reliquis propoſitionibus annexæ notæ ſunt, in quibus rerum autor, inueniendi modus, ratio ordinis, præſtantia doctrinæ, & quæ ſunt reliqua, breuiter & concinne indicantur.

§. CXXIX.

Hæc quanquam & ipſa ad demonſtrationem ipſam non pertineant, non tamen ſine inſigni aliqua vtilitate adhibentur. Certiorem enim lectorem reddunt de inuentæ rei atque traditæ poſſibilitate, alacriorem vero ad ſtudium in inquirenda veritate & inuenienda ſimili inſtituendum.

§. CXXX.

Quæ hactenus dicta rite ſi quis perpenderit, facile perſpiciet, definitiones methodi mathematicæ primum vnumque fundamentum eſſe (§. 106. 108.)

§. CXXXI.

Propoſitiones ipſæ, quæ ex definitionibus deriuantur, ſiue axiomata ſint (§. 110.) ſiue theoremata (§. 118.) ſiue denique problemata, (§. 121.) experientia teſte, ita inter ſe coordinantur, vt nulla earum prior admittatur, niſi ea, de cuius certitudine ſatis abunde conſtat.

§. CXXXII.

Igitur methodus mathematica apodixis eſt, vel demonſtratio (§. 19. 131.)

§. CXXXIII.

Syllogiſmus eſt combinatio duarum propoſitionum cognitarum, ex quibus infertur tertia incognita.

§. CXXXIV.

Itaque Syllogiſmorum ope aliquid detegitur, quod ante latuit (§. 133.) adeoque medium inueniendi veritatem eſt.

§. CXXXV.

Atque, quod tertia, tanquam inuenienda, propoſitio ex prioribus duabus cognitis immediate ſequitur (§. 133.) ipſe Syllogiſmus pro demonſtrandi methodo habetur. (§. 4. 19.)

§. CXXXVI.

Ergo *yyy)* ſyllogiſtica & mathematica docendi methodus non differt (§. 135. 132.)

§. CXXXVII.

Ipſa mathematica vero methodus medium inueniendi veritatem eſt. (§. 136 134.)

§. CXXXVIII.

Adeoque, quod ſupra (§. 8. not. f.) a poſteriori declarauimus, meditandi & proponendi methodum vnam eandemque eſſe, iam a priori clarum eſt. (§. 134. 135.)

§. CXXXIX.

Itemque patet, ARISTOTELEM in dogmatibus ſuis proponendis meliorem viam, præ cæteris, iniuiſſe (§. 54. 135.)

§. CXL.

Denique quum nullus non fateatur, ſyllogiſmorum vſum

yyy) Id quod variis exemplis illuſtrarunt & probatum dederunt, quos l. c. Illuſtr. WOLFFIVS citat, CLAVIVS, HERLINVS, DASSIPODIVS & HENISCHIVS.

vſum in omnibus diſciplinis pertractandis eſſe, idem de methodo mathematica aſſeratur neceſſe eſt; (§. 136.) Quod tamen ipſum in ſequenti ſectione vberius explicandum erit (§. 10.)

§. CXLI.

Interea id apparet, mathematicam demonſtrandi rationem ſuum nomen ab eo ſortitam eſſe, quod inter Mathematicorum cancellos hactenus incluſa fuerit, (§. 9.) minime inde vero, quod non niſi in mathematicis diſciplinis applicari poſſit. (§. 140.)

§. CXLII.

Agedum! ad tertiam Diſſertationis noſtræ ſectionem tranſeamus, &, quod promiſimus (§. 10. 140. 141.) applicationem methodi noſtræ ad reliquas diſciplinas indicemus. Via ſtrata eſt, ſemitaque parata. At vero! quæ vox, qui clamor aures vellit & admonet? Visne Atheorum gregem ſequi, & veſtigia eorum ingredi, quibus iam

- - - - *patet atri ianua Ditis*

Reuoca quæſo! gradum, neque vltra progredere! SPINOSA adeſt, Atheorum princeps, quem illa ipſa mathematica demonſtrandi methodus ſeduxit. Sed Spinoſiſmus ipſe iam (*zzz*) detectus eſt!

§. CXLIII.

Amabo! mihi horror membra miſero percipit dictis tuis? Quid mihi cum SPINOSA, quid cum iis, quos deglutit orcus, & fauces implet capaces. Ego neque illos ſequar,

zzz) ab ingenioſiſſimo Dom. M. POPPO, qui non multum ante tempus libellum edidit ſ. tit. *Spinoziſmus detectus*, oder von dem Unterſcheid der mathematiſ. und philoſophiſ. Lehr-Art.

ſequar, neque te vero audiam, ſed ſectabor veritatem. Heus ergo, mi bone! arrige aures tuas, Pamphyle, qui meas conturbaſti! Videamus, quodnam virus lateat in methodo mathematica.

§. CXLIV.

Iudicium eſt repræſentatio nexus vel ſeparationis duarum vel plurium idearum (§. 106. 107. 8. not. f.)

§. CXLV.

Igitur vel affirmatiuum vel negatiuum eſt (§. 144.) vtrumque vero vel poſſibile vel impoſſibile (§. 63.) Illud verum dicitur, hoc falſum.

§. CXLVI.

Et quod omnia vel entia ſunt vel non entia (§. 64. 67.) omne iudicium vel verum eſt vel falſum. (§. 145.)

§. CXLVII.

Qui a vero falſum poteſt diſcernere, & diſcrimen definire, claras atque diſtinctas ideas de vero & falſo habet. (§. 97.)

§. CXLVIII.

Error eſt confuſio iudiciorum verorum & falſorum.

§. CXLIX.

Qui ergo in errore conſtitutus eſt, nec de vero nec de falſo claras & diſtinctas ideas habet; (§. 148. 147. 60.) ſed obſcuras & confuſas (§. 97.)

§. CL.

Atheiſmus eſt error, quem quis circa definitionem ſummi entis fouet.

§. CLI.

Adeoque atheiſmus vitium intellectus eſt (§. 150. 148.)

§. CLII.

§. CLII.

Atheus vero in ſtatu obſcurarum & confuſarum idearum verſatur (§. 150. 149. 99.)

§. CLIII.

Qui de iudicii poſſibilitate non ſatis perſuaſus eſt, incertus eſt, & dubius adhuc hæret.

§. CLIV.

In dubio hærenti verum latet (§. 153. 145.) adeoque nec de veri differentiaque falſi conſtat.

§. CLV.

Dubius obſcuris ideis & confuſis inuolutus eſt (§. 154. 147.)

§. CLVI.

Itaque de ſuis placitis Atheus non certus eſt (§. 155. 152.)

§. CLVII.

Methodus mathematica cum ex definitionibus (§. 130.) claris & diſtinctis (§. 106) originem ſuam ducat, (§. 108.) nec admittat, quod extra omnem dubitationis aleam non poſitum, adeoque certum ſit (§. 131.) ipſe Atheiſmus vero obſcuris ideis nitatur & confuſis (§. 152.) immo incertos defenſores relinquat ſuos (§. 156.) ſequitur, vt methodus mathematica Atheiſmo non ſolum non viam ſternat, ſed præcludat (§. 60.) Q. E. D.

§. CLVIII.

Et quid prolixiori demonſtratione opus eſt? Supra iam (§. 137.) euictum dedimus, methodi mathematicæ

ope veritatem inueniri posse. Qui ergo, dic mihi Sodes! fieri potest, vt eadem in errorum Labyrinthum, qui Atheismus est (§. 150.) inducat? (§. 60.)

§. CLIX.

Quæ cum ita sint, quid impedit, quo minus rationem demonstrandi hanc etiam ad alias disciplinas applicari posse ostendamus. Sequitur ergo.

Sectio III.

De

APPLICATIONE METHODI MATHEMATICÆ AD DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS.

§. CLX.

NOn animus est, de Matheseos vsu in disciplinis disputare, quippe quod a *(aaaa)* viris maximis præstitum sciamus.

§. CLXI.

Ratio instituti nostri ea est, vt, quod iam monuimus, & ipse Dissertationis & Sectionis huius tituli innuit, vsi-

aaaa) Inter quos imprimis ROHRIVS eminent STVRMIVS, TSCHIRNHAVSIVS, celeb. HAMBERGERVS, Excellentissimusq; WIDEBVRGIVS, quorum scripta celebriora sunt, quam vt eorum titulos transferre opus habeam. Conferri ad hæc anonymi libellus potest, qui Wratislav. prodiit 1720. 8vo. Aufmunterung zu den Mathematis. Wissenschafften.

vſitatam mathematicis docendi & demonſtrandi rationem ad philoſophicas diſciplinas applicari poſſe oſtendamus.

§. CLXII.

Ad hæc, niſi omnia me fallunt, fere ea iam ſufficerent, quæ ſupra (§. 140. 141) in rem attulimus. Tamen, vt ne fine excidamus, rem altius repetere breuibus licebit.

§. CLXIII.

Cum philoſophia ſcientia poſſibilium ſit, quatenus ſunt poſſibilia (§. 6.) poſſibilium vero entium multa dentur, (experientia teſte) ſequitur, vt circa vnumquodque eorum ipſa philoſophia verſari debeat.

§. CLXIV.

Vbi plura vnum conſtituunt, ibi totum deprehenditur (§. 65.) Igitur quando ſcientia poſſibilium philoſophia dicitur, totum eſt, totius vero partes ſunt, quæ circa vnumquodque rerum poſſibilium conſiderationes inſtituuntur (§. cit. 163.)

§. CLXV.

Dantur itaque variæ & diuerſæ ipſius philoſophiæ partes, quæ ex conſideratione poſſibilium naſcuntur (§. 164.)

§. CLXVI.

Qui ad experientiam ſuam probe attenderit, multorum poſſibilium conſcius ſibi erit (§. 77.)

§. CLXVII.

Quia vero anima eſt, quæ res poſſibiles repræſentat

 ſibi

ſibi (§.78.) eo vero ipſo ſuimet ipſius conſcia dicitur (§. 79.) ipſa illa prima eſt inter res poſſibiles, quæ conſideranda venit.

§. CLXVIII.

Inſtituitur vero hæc conſideratio animaque ad illam ducitur per experientiam internam (§. 114.) ita quidem, vt ſupra mutationes ſuas mens reflectat (§. cit. 113.)

§. CLXIX.

Prima vero mutatio, quæ in mente ſeſe exſerit, ea ipſa eſt, quæ poſſibilia repræſentare ſibi poſſe ſentit: Altera, qua aliquid appetere vel auerſari poſſe obſeruat. Vis illa intellectus, hæc voluntas dicitur.

§. CLXX.

Porro cum mens cum corpore coniuncta (§. 78.) hoc ipſum vero inter entia poſſibilia referendum ſit (§. 63. 64.) noua alicuius entis conſideratio exſurgat neceſſe eſt (§. 166.)

§. CLXXI.

Mundus eſt ſeries ſimultaneorum & ſucceſſiuorum inter ſe connexorum.

§. CLXXII.

Igitur mundus vnum, adeoque totum, eſt, ſimultanea vero & ſucceſſiua partes ſunt totum conſtituentes (§. 171. 65.)

§. CLXXIII.

Philoſophia, quod omnes res poſſibiles reſpicit (§. 6.

(§.6.163.) etiam circa mundi partiumque eius considerationem versari debet (§. 172. 173. 60.)

§. CLXXIV.

Ipsæ, quæ mundum constituunt, illæ partes creaturæ appellantur vel res creatæ.

§. CLXXV.

Creare in sensu latiori est, rem absolute antea possibilem existentem reddere.

§. CLXXVI.

Creaturæ, quod experientia testatur, omnes agunt, actionem vero vel per motum vel per cogitationes produnt. Quæ mouentur, corpora, quæ vero cogitant, spiritus solent appellari.

§. CLXXVII.

Ergo mens nostra spiritus est (§. 176. 169.)

§. CLXXVIII.

Noua igitur philosophiæ capita duo oriuntur: Vnum, quod circa considerationem corporum, alterum, quod circa spirituum speculationem occupatur (§. 165. 167.)

§. CLXXIX.

Cum nihil sine ratione sufficienti fiat, cur potius sit, quam non sit (§. 71.) vt etiam corpora & spiritus rationem suam habeant, cur existant, necesse est (§. 60.)

§. CLXXX.

Hæc vero ipsa ratio, quod & corpora & spiritus sunt (§. 176. 174.) in alio ente ab his diuerso quærenda est (§. 175.)

§. CLXXXI.

§. CLXXXI.

Quod ens, cum & ipsum sit possibile, imo necessarium (§. 180. 63. 64) sequitur, vt ex consideratione eius noua philosophiæ pars emergat. (§. 6. 165. 3. not. c.)

§. CLXXXII.

Quælibet harum philosophiæ partium proprium sortitur suum nomen. Itaque quæ intellectum spectat, Logica, quæ voluntatem, ius naturæ appellatur (§. 169.)

§. CLXXXIII.

Ea, quæ generalem mundi considerationem instituit (§. 173.) Cosmologia, quæ spirituum (§. 178.) Pneumatologia, quæ denique ipsius Dei (§. 180.) naturalis Theologia audit. Hæc vero tria capita doctrinam *bbbb*) methaphysicam constituunt.

§. CLXXXIV.

Denique, quæ ad corporum indolem & naturam disciplina respicit (§. 176. 178.) Physica vocari solet.

§. CLXXXV.

bbbb) Originem denominationis suæ scholasticorum filiis hæc disciplina debet, qui Præceptoris sui, Aristotelis, male intellecta mente, alienam formam huic induerunt, & in quod Aristoteles maxime intendit, ex philosophia prima & scientia de ente lexicon aliquod philosophicum exsculpserunt. vid. JAC. THOMASII Hist. Metaphys. erotematibus metaphysicis præmissam (§. 73) Meliorem sortem nacta hæc disciplina est ex recentiorum quorundam industria, Illustris imprimis WOLFFII in den vernünfftigen Gedancken von GOtt, der Welt und der Seele des Menschen, & Excellentissimi Dom. P. SYRBII in Philosophia prima.

§. CLXXXV.

Sed quid, ais, hæc ad nos? Age rem tuam, & promiſſi memor (§ 161.) fac oſtendas methodi mathematicæ applicationem ad diſciplinas, quas indicaſti, philoſophicus!

§. CLXXXVI

Agam igitur, & præmittendis iam præmiſſis, rem breuibus expediam.

§. CLXXXVII.

Methodus mathematica, quæ ordo eſt res & doctrinas ſuas proponendi mathematicis vſitatus (§. 59) cum non admittat, niſi id, de quo certi ſumus (§. 131.) vt in omnibus diſciplinis, quæ certitudinem pro fine habent, poſſit applicari neceſſe eſt.

§. CLXXXVIII.

At vero ipſa philoſophia eſt, in qua ad vnam partem cum certitudine intellectus flectitur (§. 4.) Igitur ipſius placita, quæ vel in logica diſciplina vel morali (§. 182.) vel in metaphyſica, (§. 183.) vel denique phyſica (. 184) traduntur, iſta ipſa mathematicorum methodo veſtiri poſſunt. (§ 187)

§. CLXXXIX.

Accedit ipſius ſcientiæ notio, quæ habitus demonſtrandi eſt (§. 5.) & ex principiis concluſiones ducit. (§. 4.) Namque cum methodi mathematicæ ſit, ex principiis extra dubitationem conſtitutis, concluſiones deriuare (§. 131.) ipſa vero philoſophia quoque ſcientia appelletur (§. 6.) eam methodo mathematica tradi & proponi eſſe patet. (§. 60.)

§. CXC.

Quid vero multis? Exiſtunt clariſſimorum philoſophorum ſcripta, quæ cuius poſſibilitatem oſtendimus (§. 187. 188. 189.) actualitatem probant. Ita enim in ſcenam

nam prodeunt Illuſtris WOLFFII ſcripta varia ad philoſophiæ partes pertinentia: METERNICHII, experientiſſimi D. HAMBERGERI aliorumque clariſſima tentamina, quibus omnibus, ſi neceſſitas poſtularet, nec variæ rationes diſſuaderent, ipſi facile propoſitiones quasdam philoſophicas methodo mathematica demonſtratas poſſemus addere.

§. CXCI.

At, ais, num & ad Theologiam poteſt methodus mathematica applicari? Ego myſteria hæc non tangam, ſed te curioſum ad S. R. WIDEBVRGII, REICHLINI, HVETII, PVFFENDORFII, aliorumque ſcripta atque dicta mitto.

TANTVM.

